

Quaestio medica, an a frequentiori potu cafe vita brevior? / [Simon Antoine Bringaud].

Contributors

Bringaud, Simon Antoine.
Le Monnier, L. G. 1717-1799.
Université de Paris.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g8x6au9r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-

septimo mensis Maii, Anno Domini M. DCC. LI.

P R Æ S I D E

M. LUDOVICO-GUILLELMO LE MONNIER,

Doctore Medico, Consiliario Medico Regis ordinario in

Nosocomio Regio San - Germani in Layâ, Regiarumque

Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiæ Socio.

An à frequentiori potu Cæsè vitæ brevior?

I.



OSITA sanctorianæ transpirationis lege, patet quomodo per internas externasque causas diffluant corpora. Quidquid autem ex hoc effluxu decedit substantiæ corporis viventis, sive solidæ, sive fluidæ, id omne per esculenta & potulenta utcumque reficitur. Perennis hæc est alimenti necessitas ad vitæ conservationem, molisque corporeæ incrementum.

Æqua verò & conveniens naturæ debet esse alimenti copia; hæc legiti-

A

ma est via, quâ pervenire licet ad longævitatē. Neccessariis levatur natura, gravatur superfluis. Hæc tanti penduntur ad perniciem, quanti emuntur ad delicias. Ingeniosa gula ita sitire & esurire didicit, ut vix totus ipsi sufficiat orbis. Nihil est cui parcat. Nam domestica sævit in animalia; feras per lucos & sylvas prosequitur; avibus retia tendit; pisces in ipso Thetidis gremio fallit. Quidquid sponte, quidquid sollicitata profert, aut visceribus recondit terrâ, id omne depopulatur, & in alimentum fūmit. At quid hæc omnia ad vitam longam, nisi sanitatis offendicula, & cotes parcarum forcipibus acuendis idonei?

I I.

ALIMENTI nomine intelligitur id, quod corporis animati partes solidas & fluidas restaurare ac augere valet, & in illarum substantiam converti. Duplicis est generis, cibus & potus. Hic quod simplicior fuerit, eò præstantiorem futurum esse planè constat. Ubivis & cuique sua offert ubera tellus, quorum latex, aqua scilicet, potum priscis temporibus, non animalibus tantum, sed & homini etiam subministravit. Vinum ad sidera tollant baccho devoti; sua pomacea jactent neustriæ populi; mucosam & lentescētem cerevisiam tumidi bibant Belgæ; viscera sua spirituosos & ardentibus aquis torreant ursæ gelidioris incolæ; glaciales potent aquas calidarum regionum habitatores; Chocolatam hauriant operosiores; Thévè infusum forbillent, quæis sordent faciliora naturæ munera: circà Café decoctum occupentur, quos strenua exercet inertia, qui somno fatigantur longiori, aut qui crassis vescuntur cibus; hæc potio sit otiosorum delectabilis esca, & in Thermopoliis garrientium anima. Sed qui vitam quærunt diuturniorem, hæc omnia respuant, vel iis saltem leviter & quasi transitorie utantur. Nihil enim magis sanitati, & vitæ detrahīt, quàm potus illi, qui tam diversè corpus afficiunt, quique evolutis & nimium volatilibus principiis turgidi viscera torrent, fibras crispant aut urunt, sulphura humoribus permixta evolvunt, & sui juris faciunt; sicque liquores inspissant, serum ita necessarium sanguinis vehiculum dissipant, morbosas cient in sanguine fermentationes, viscera infarciunt, appetentiam tollunt, coctiones impediunt præcipitatis è ventriculo citius alimentis, aliaque mala benè multa inferunt iis præsertim, qui pleniori victu utuntur, & ὀψονμα καὶ σὺππηλα assumunt alimenta.

I I I.

EXTRANEÆ quæque eò pluris fiunt & avidius expetuntur, quod magis è disitis prodeunt regionibus. Licet enim nobis apposuerit natura quæcumque alimento aut remedio esse debent, uno verbo, quæcumque ad conservationem nostram necessaria sunt; nullaque nobis sint aptiora iis quæ fert patria tellus, & nobis connascuntur: attamen propria sæpissimè negligunt plurimi, extranearumque rerum cupidine laborantes, aureâ se sicâ jugulant. Inter illas merces exoticas magnum sibi nomen fecit Café, nec fortè jam vulgator ulla. Cujus adeo crevit usus, ut ferè Thermopoliorum officinæ ad Oinopolarum numerum accedant. Quantum autem noceat frequentius potata hæc nigra potio, is solus negave-

rit, qui naturam ejus ignorat, de effectibus quos producit, quique quotidiana innotescunt experientia, minimè sollicitus. Si *Café* examini subjicias non leguminis speciem esse deprehendes, uti somniaverunt creduli, qui pro illo cicer arietinum cum gaudio in hortis vegetasse mirabantur: sed semen exoticum arboris cujusdam in Arabia felici crescentis, cujus primus mentionem fecit Alpinus sub nomine *Bon*; itaque *Bon* sive *Ban* Joannis Bauhini, *Café* officinarum, arbor est ad cerasos minores proximè accedens, cujus semen in testâ unicapsulari vel bicapsulari olivæ formam referente continetur, sex lineas longâ, tres crassâ. Contenta verò in capsulis semina, dura sunt, unâ parte convexa, alterâ depressa & sulcata, colore album inter & fusco-luteum donata, farinacei saporis & nullius ferè odoris; eligatur pinguius graviusque, nec aquâ madidum marinâ. Hujus seminis vires profecto non exiguæ, si medicamenti loco adhibeatur. Ne tamen panaceam credas, ut prædicat otiosa delicatulorum turba. Quin imò si frequentius potetur illius decoctum, appetentiam tollit, insomnes reddit, liquores inspissat, sanguinem accendit, multaque ad vitæ detrimentum machinatur.

I. V.

SEMINIS *Café* volatilis pars, in qua vires ejus sitæ sunt, adeo in intimâ hæret substantiâ, ut illam evolvere, nisi postquam igni subiecta fuerit, impossibile prorsus videatur. Torrefaciendi coquendive non una methodus, nec minima laus est apud otiosos si ritè præparandi modum longo usu acquisiverint. Hujusce moderatus usus quoquo modo prodesse posset, si huic tanquam medicamento tantum indulseris: sal nimirum volatile quo turget semen illud, spiritus agitat & commover, qui perniciosissimo motu donati somnum arcent, vigilias invehunt, fumosque à crapulâ ortos, caput gravantes, discutiunt. Adustæ autem particulæ, quarum in eo magna copia gustu olfactuque deprehenditur, dum in sanguinem, deinceps in laticem insinuantur nerveum, ataxias excitant, effervescentias cient, assiduæ mobilitatis importunitate nervos vellicant, spiritibusque efficaces nimium addunt stimulos. Sic reserati cerebri ductus ad solita videntur se accingere munia; spiritus verò animales sui non levem copiam unâ cum oleosis, balsamicisque corporis humoribus avolare finunt. Quin & maximam sanguinis portionem in serum solvunt per renes amandandam. Sic ergo levia quædam præstare bona posse videtur decoctum *Café*, si datâ occasione propinetur ut remedium; sin verò pluries in diem garriendi tempusve terendi gratiâ, ut hodie consuevit, forbilletur, iisdem legibus quibus prodest, in potantis perniciem frequentior vertitur usus.

V.

DE COCTI *Café* forbillandi appetitus morbus quidam est otiosus & mulieribus familiaris, qui si quemquam semel corripuit, nulla fit medicabilis arte. Sitis est hydropis symptomati similis, nec minùs inextinguibilis. Quò plus potatur, eò sititur magis. Cum inter activa *Café* principia præcellat & dominetur alkali volatile, quo ferè unico dives

4

est, avolatis post tostionem phlegmate unà cum sulphurum & oleosorum; quibus temperabatur, majore parte, alimenti vicem supplere nequit, etiam si avolantes cum decocti fumo permixtas volatiles particulas ore & naribus retinere tentaveris. Sed valet obtundere ventriculi fermentum, sicque appetentiam tollit; nec timendas ejus vires, addito saccharo, ut est usus, frangere vel frænare speraveris, quin imò sic invalescunt magis, potiusque evadit nocentior; suavius nempè ideòque liberalius propinatur venenum, quo, velocius raptâ sanguinis mole, solvitur illius compages; spiritus enim, quos continuâ jactatione & mobilitate fatigat, avolant; spiritibusque dissipatis vappidi remanent cæteri liquores, unde *Café* inusta indelebilis labes, quòd nempè paralyfim nervis inducat, sterilitatemque utrique sexui accersat. Cum igitur perniciosissimo partium acrium & ignearum motu balsamicam depopuletur humorum partem, sanguinis pretiosum absumat vehiculum, serum scilicet; non mirum si iisdem viribus quibus auxiliatur, dum modestè & pharmaci instar potatur, tot mala ob frequentiore usum perpetrare valeat. Sic vinum nutrit, & inebriat. Ignis calefacit & urit; constat enim eos qui *Café* frequentius utuntur, in morbos lethales incidere, quales sunt viscerum infarctus, affectus melancholici, hecticæ febres, aliaque innumera, à quibus jam nimium cita mors, corripuit gradum.

Ergò à frequentiori potu Café vita brevior.

Proponebat Parisiis **SIMON - ANTONIUS BRINGAUD**,
Pontæfianus, Rothomagensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.